

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

A. 1572.

PARS QUARTA.

403

fælicissimum , & in columem ad nos redditum. VII. Januarii , 72. Festinanter  
equidem.

Vestor ex animo totus

Joh. Pappus.

---

LXXXV.

S. Heccelium tibi probari gadeo , & spero, utriusque nostrum expectationi re-  
sponsorum esse, si Dominus ut haec tenus gratiam sic vitam & in columitatem  
largitus fuerit , ego, quantum in me est, in eo exornando, quod debo & possum,  
libens officium præstabo. Nunc quod occasio tulit, non possum intermittere,  
quoniam præsentium latoris nomine te interpellam, ut qui amicissimi conjunctissimique  
fratris & Symmista in Bernatum agro filius, parentis consilio, conditionem schola-  
sticam aut sustentationem (quod malit) etiam tenuem ad studiorum suorum cursum  
perficiendum querit, posteaquam pater jam senex & me annis major ob fortunarum  
tenuitatem suppeditare sumptus nequit necessarios. Dispexi apud nos diligenter  
de occasione, quo juvare juvenem optimum possem, verum cum nulla uspiam afful-  
geat, isthuc se confert, idque meo hortatu, quod & ipse in celebri vestra Academia  
cupiat uberiores fructus facere, qui in tribus linguis & Poëtica fecit aliquos. Ego  
própter insignem raramque patris pietatem, (qui verum nobiscum circa religionis  
sinceræ capita & solidam confessionem tenet & profitetur, eoque nomine non unum  
assultum sustinuit & sustinet hodie) velim filio quovis modo prospicuum. Quare  
te, vir reverende & clarissime frater, impensè rogo, si qua fieri potest, ut succurratur  
huic. Dabo operam, ut si detur facultas, pari id compensem officio, nec deinde fa-  
cile molestus esse pergam. De reliquis posthac. Bene vale. Basil. 15. Januarii,

an. 72.

T. d. totus ut semper

Sulcerus, D.

---

LXXXVI.

S. Profectionem vestram obvenisse vobis laboriosam, fatis credo & hoc ipsum  
conjiciebant, quod esset ea vobis in ipsa hyemis æquu suscipienda. Nec pa-  
rum me vel idcirco sollicitum habuit, quod metuebam, ne quid alterutrius aut utri-  
usque etiam valetudini incommodi adferret, idque eō magis, quod comes vobis ad-  
Eee 3 jun-

junctus tardius ad nos reverteretur. Sed optimo DEO gratiam debemus, cuius Angelus bonus vobis dux fuit & custos, ut salvi perveneritis Eslingam, ubi quod amanter cum primis à D. D. Jacobo Andreæ accepti estis, non est, ut miret, quod eisima cum Parente necessitudo in Domino intercedit, & naturæ etiam honestate pietateque humaniter accipit, quotquot Christum Servatorem verè colunt & sinceriter profitentur. Ac rectè facietis, si vos Clarissimo, doctissimoque viro pergas approbare, limina ejus terere, quò consuetudine ejus sancta eruditaque & doctiores & meliores reddamini, utcunque communis cum illo mensæ usus nunc quidem, quod voluissestis, non obtrigerit. Quod gratias mihi agitis pro beneficiis in vos collatis, facitis pro candore pietateque vestra. Et sanè, ut verum fatear, voluntas mihi vobis commodandi non defuit: Sed quo minus eam pro eo ac voluisse declarare potuerim, obstitit sive ignavia, sive uberior facultas & occasio. Spero autem, sic rebus omnibus vestris consultum, ut pientissimis votis vestris potiamini, & paulo post fructum feratis nomini Christi gloriosum & frugiferum Ecclesiae. Ceterum quam mea domus à vestro discessu funesta sit reddita, fortasse aliunde accepisti. Mortua enim uxor meæ soror Barbara est, agninae, ut nostis, innocentia virgo. Eam secuta est mea uxor, in die Natalis Domini ex hac vita in immortalem cestemq; renata. Ac quantum illa mihi & seni & infirmo servo Christi, tum ~~in~~ <sup>in</sup> ignorando, sui reliquerit desiderium, facile conjicitis. Et utcunque meisum Divinae voluntatis providentiae & consideratione consolor; & bonorum etiam literis & interpellationibus recreor, qui plurimum eorumque optimorum ~~expeditum~~ re ipsa experior, non possum tamen non mœrore luctuque affici. Interca meum in illa fatum recognosco & expecto, quid de me statuat Dominus, cuius gubernationi me meaque omnia permitto. Vos autem precor, ut vestris etiam precibus me & meum ministerium juvetis assidue, de rebus item vestris totiusque Academie & si que alia sunt vobis cognita, certiore me reddere. Salutant vos contubernales meis omnes. Coccius item & Füglinus collegæ. Reverenter salutare meis verbis D. D. Jacobum Andreæ & reliquos Theologos. Scheckium item & Crusium. Bene valete in Christo Jesu. Scripsi Baleæ, Calendis Febr. Anno 1572.

Vester ex animo

S. Sulcerus.

*Inscriptio.*

Ingenio, doctrina & pietate eximiis D. D. Erasmo &  
Philippo Marbachis, liberalium artium Magistris,  
& S. Theologia candidatis, amicu, fratribus unicè  
dilectis.

LXXXVII.